DE POTAMOGETONE. CAP. CCLI.

C

NOMINA.

Potamogeton unde dicta. Stachyites.

POTAMOGEITΩN, ἢ σταχύϊτης græcè, Fontalis & Potamogeton Latinis dicitur. Officinis ignota est herba. Germanis Samtkraut uocatur. Potamogeton autem quasi fluminibus uicina dicta est: siquidem aquosis & palustribus locis nasci amat. Stachyites uerò quasi spicata, ob caulem quem ex se mittit floribus & semine spicatum.

FORMA.

Folium Betæ simile habet, densum, & paulum extra aquã eminens. Ex qua quidem breui admodum deliniatione satis intelligi potest, herbam cuius picturam damus esse Potamogetona. Caulem nanq; rotundũ habet, geniculis intersectũ, è quibus pediculi exeunt foliis Betæ aut Plantaginis uestiti, paulum supra aquam eminentibus. Flores etiam spicatos, Plantaginis instar, profert, ac subinde semẽ. Quid multa? folia huius herbæ planè referunt folium Indum uocatum officinis.

LOCVS.

Nascitur in lacustribus & aquosis locis.

TEMPVS.

Floribus prægnans est Iulio mense.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerat & exiccat, ut gustus etiam abundè docet.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Refrigerat & adstringit: pruritibus, ulceribusq; uetustis, & ijs quæ pascendo serpunt, confert.

EX GALENO.

D Adstringit & refrigerat similiter Polygono, sed essentia eius crassior quàm Polygoni est.

EX PLINIO.

Potamogeton ex uino dysentericis & cœliacis medetur. Peculiariter refrigerat, spissat. Vsus in foliis, cruribus uitiosis utilia, & contra ulcerum nomas, cum melle uel aceto.

DE PEDE ANSERINO. CAP. CCLII.

NOMINA.

Pes anserinus cur dicta.

NVLLO nomine ueteribus tum Græcis tum Latinis sit appellata hæc planta, nondum cognoscere potui: quapropter nouam ut illi nomenclaturã inderem necesse fuit. Aliam autem & cõmodiorem non licuit inuenire præter eam, quam alludentes ad germanicam appellationem imposuimus. Nam si folia eius spectes in ambitu laciniata, planè anserini pedis formam ac similitudinẽ repræsentant. Hinc appositissimè Germanis nostris uocata est Genßfüß/ oder Genßfüßle. Quum uerò eadem herba suibus inimica admodum sit, atqueadeo mortem inferat, factum est ut à mulierculis etiam sit nominata Sewtod/ & Schweinßtod. Etsi uerò in officinis eius herbæ nullus sit usus, tamen quia passim nascitur, & temerè fortassis à nonnullis uires eius ignorantibus usurpari posset, eam silentio transire noluimus, quò scilicet facultas tam uulgaris herbæ omnibus patefieret.

FORMA.

Caulem profert cubitalem, striatum: folia ad Halicacabi formam accedentia, in ambitu tamen laciniata, atqueadeo anserini pedis speciem referentia: flores exiguos ruben-